

8 24
1749,1

P 542

DISPUTATIO PHILOSOPHICA
DE
VESTIGIIS
QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPTE AC DOMINO
DOMINO
FRIDERICO
MARGGRAVIO BRANDENBURGICO
BORUSSIAE SILESIAE DVCE RELIQVA
PRAESIDE
IO. MARTINO CHLADENIOD.
SS. THEOLOGIAE ELOQVENTIAE ET POESEOS
PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO TEMPLIQUE
ACADEMICI PASTORE
AD D. XIX. FEBR. A. R. S. CICCCXLIX
H. L. Q. C.
ERUDITORVM EXAMINI
SUBMITTET
IO. EHRENREICH IEREMIAS
TORGAVIO MISNENSIS

ERLANGAE
TYPIS BECKERIANIS



DE
V E S T L G I I S
RECTORIS MAGISTRICELLEBRISSIMO
SERVIRISSIMO FRANCISCO AC DOMINO
PONENDO
D E R R I C O
JO. MARTINI QUINTI
THEODORI ET LUDV. FRONSTADII
LIBRARIÆ PRAESES D. G. V. ZWEDAE
10. 10. 16. 16. 16.
C
I M A X M U R T I C A T
S
I C K H E I L F I M A S
—
C
I M A X M U R T I C A T
S

VIRO
ILLVSTRI ATQVE CONSVLTISSIMO
DOMINO
IOANNI GEORGIO
IEREMIAE

POTENTISSIMO POLONIARVM REGI
ATQVE ELECTORI SAXONIAE A COMMISSIONIBVS
CAMERAE ET IN PRAEFECTURA WEYDENSIVI IVRI
DICUNDOPRAEFFECTO

GRAVISSIMO PRVDENTISSIMO AEQVISSIMO

S. SEP. D.
IO. MARTINVS CHLADENIVS D.



Inter copiosa summi Numinis munera,
quibus TE spectatissimamque TVAM
familiam, inde a multis annis orna-
tum auctumque vidimus, nobilissimum facie locum
obtinet laudatissimae indolis Gnatus TVVS, medita-
tionis

tionis nostrae de Vestigiis commodus, isque publicus, defensor. Atque is viuum nobis sistit singularis prudentiae TVAE, multis pridem, atque copiosissimis, ac perpetuis, experimentis patefactae, monumentum. Eundem enim TE praelata in re familiari tutanda, quem in obeundo grauissimo munere omnes agnoscunt, praedicanter. Et quis dubiter, eum pariter in dicundo iure, atque in administranda Principatus dote, suae curae concredita, conficiendisque mandatis Regiis, summa cum laude versari, qui ad tam varia, tam illustria, negotia non minorem afferat doctrinae, quam autoritatis atque consilii, expeditam viam. Quarum rerum omnium et vera, et antiqua, iam fama flores. Quare non miror TE Filium, quem habes unicum, ad eandem fortunam, similemque negotiorum feliciter gerendorum facultatem, ab ineunte aetate instituisse. Sed viam, quam iniisti, singularem, eamque laudatam magis, quam tritam, cum voluptate, miror. Tradidisti Filium, Themidis sacris tractandis destinatum, Philosopho acutissimo pariter atque celeberrimo, quis enim Reutschium ignoret? et ea lege tradidisti, ut is TVVM diligentissime instrueret praceptis Philosophorum. *TVVT* *affidit* *alibui* *comitibus* *phiae*
et nos

phiae, Hic autem, suscep^{to} tanti magistri onere, non pro-
be imbutum discedere, turpe putaret. Sic itaque factum
est, vt ingenium Gnati TVI, per se minime rude, sermo-
nibus tamen, ac quotidiano contactu, tanti Philosophi eo
magis limatum, ac perpolitum, facilime ariperet, a fami-
geratissimis doctoribus, amplissimam, et in plurimas par-
tes diffusam, Iuris scientiam. Cursu isto iam prospere con-
fecto, vt pariter solidiori doctrina, atque elegantiori,
quaes in Oratoribus et Poetis spectatur, et ad dicendum,
et ad agendum, satis instru^{ct}us videretur; Eundem iussisti
in Fridericiana nostra alia ingenii colligere ornamenta;
comparata iam exercitatione firmare. Cuius TVI consilii
partem vti famae nostrae Academiae libenter tribuo,
sic non minorem partem TVAE erga me voluntati
adscribendam puto. Is nimirum locus, quo me for-
tuna deduxit, tam gratus TIBI est subito redditus, vt
Filii TVI utilitatibus prae multis inseruire posse TIBI
videretur. Ego vero, ista TVA voluntate, meoque
iure, quod dedisti, vtens, Eum iam cathedrae philoso-
phicae adstituo; vt per eosdem gradus ad publicorum
speciminum laudem assurgat, per quos ad ipsam Iurispru-

dentiae

dentiae cognitionem penetravit. Hoc vt TIBI, quod
confido, gratum accidat, multoque magis, vt e re Filii
TVI, sua humanitate mihi coniunctissimi, sit, maxime
precor. Mihi voluptati non mediocri est, amicitiae TVAE
fructum, quem longa locorum interualla abstulisse vide-
bantur, non penitus esse interceptum. TIBI vero,
VIR ILLVSTRIS ATQVE CONSVLTISSIME,
TVAE ATQVE spectatissima e, plurimisque virtutum meritis
conspicuae, Coniugi, istud felicitatis culmen appreco, vt
seros usque ad annos, incolumes, Numinisque singulari
cura ac prouidentia, omni fortunatum genere florentes,
Nati instrumentis, pia mente spectandis, amplificandis,
pares sitis. Dabam in Academia Fridericiana Erlangensi.

d. XVIII. Febr. MDCCXLIX.

CONSPECTVS DISPV TATIONIS

- §. I *Vestigiorum et inuesti-* ad fragmenta, reliquias, rude-
gationis tractatio noua est. ra, vias, et indicia, perineat?
- §. II *Vulgaris vestigii notio.* §. XII *Vsus artis inuesti-*
- §. III *Latior, pariterque gandi in re Critica-*
- vulgaris, vestigii notio.* §. XIII *Vsus artis inuesti-*
- §. IV *Vestigii notio, et de-* gandi in re Antiquaria.
- finitio, huic tractationi pro- §. XIV *Vsus artis inuesti-*
- pria. gandi in viis detegendis.
- §. V *Latissima inuestigandi* §. XV *Vsus artis inuesti-*
- notio, inuentione Synonymica.* gandi in re criminali.
- §. VI *Vestigia comparantur* §. XVI *Vsus artis inuesti-*
- I. cum fragmentis. gandi in re Historica.
- §. VII *Vestigia comparan-* §. XVII *Vsus artis inue-*
- tur II. cum reliquis. gandi in re Hermeneutica.
- §. VIII *Vestigia comparan-* §. XVIII *Axiomata quae-*
- zur III. cum ruderibus. dam ex notione vestigiorum de-
- §. IX *Vestigia comparan-* ducta.
- tur IV. cum via. §. XIX *Tres operationes*
- §. X *Vestigia comparantur* inuestigationem exhaustientes.
- V. cum indiciis. §. XX *Quid effectus exi-*
- §. XI *Quomodo inuestigatio gnis sibi velii?*

X 2

§. XXI

§. XXI Effectorum notio difficilior modus e vestigio caussam
vaga accuratius determinatur. agnoscendi.

§. XXII Analoga effecto-
rum bina explicantur.

§. XXIII Variæ partes,
variisque limites, artis inuesti-
gandi constitui possunt.

§. XXIV Quo pacto res sint
inpervestigabiles? Quid sit sa-
gacitas?

§. XXV Quomodo gradus
vestigiorum sint aestimandi?

§. XXVI Quomodo vesti-
gium agnoscatur?

§. XXVII Quomodo ex
vestigio causa agnoscatur?

§. XXVIII Tertius, isque reliquis inuestigationis partibus.

§. XXIX Cur vestigiorum
agnitio saepius fallit?

§. XXX Comparatio inue-
stigationis et ratiocinationis.

§. XXXI Inuestigatio pecu-
liarem habet inadolem, a vulga-
ribus ratiocinii diuersam.

§. XXXII Quomodo inue-
stigandi ars a doctrinis Logicis
fit sciuncta.

§. XXXIII Fallendi peri-
culum non tollit artem inuesti-
gandi.

§. XXXIV Admonitio de





H. 2

D E

VESTIGIIS

§. I

Vestigiorum et investigationis tractatio noua est



Erquam nota est nonsolum eruditis, sed etiam vulgo, INVESTIGANDI notio. Vnde, Theoriam VESTIGIORVM hac tractatione comparatur, id consequimur commodi, vt lectors quosuis sperare nobis liceat, non plane imparatos esse accessuros, sed eandem potius omnes rei notionem esse allatuos, quan nos ipsi, paullo ante, in meditationis huius vii sumus ingressu. Idem nobis vltro dabunt, *investigationem* esse quandam mentis nostrae, in primis intellectus, actionem, atque operationem; cuius indoles maxima ex parte, ab obiecto, nempe ab ipsis pendeat *vestigis*. Neque etiam lectoribus id obscurum fore arbitramur, *investigandi* labore hucusque a ceteris intellectus

A opera-

operationibus vix distinctum, nedum opera peculiari a quopiam esse explicatum. Denique si planum a nobis factum fuerit, vestigiorum contemplationem, et inde natam inuestigationem, habere peculiarem a vulgatis mentis operationibus indolem, facile aequos rerum iudices nostras doctrinas probaturos esse confidimus.

§. II

Vulgaris vestigii notio

Omnis inuestigandi ars, siue latius pateat, siue strictius sumatur, profecta est ab *impressa pedibus animalium terrae forma*, quae proprie VESTIGIVM dicitur. Nihil hic ambiguum, nihil aequiuocum, apparet; cum nemo eam notionem ignoret penitus, venatores autem sagacissime ac studiosissime scrutentur. Est tamen quidpiam, quod admonitione indigeat. Nimirum rerum corporearum indolem non eodem semper modo spectare solemus. Nunc FORMAM solum externam spectamus; quo pacto genera plantarum, et arborum, solent constitui: nunc INTERNAS QVALITATES inspicimus; vt gratitatem specificam, in metallis; vim, per gustum cognoscendam, in aromatibus: nunc etiam FINEM, et VSVM, rerum, tanquam primariam earum affectionem contemplamur; vt in pleroque supellestilis genere. *Vestigii* iam notio ex postremo esse solet genere, vt homines eo vocabulo non solum id denotent, quod oculis cernitur, nempe figuram plantae pedis, terrae, vel niui, impressam, sed maxime id, cuius gratia illa vestigia spectari solent; nempe quatenus inferuiunt animalis, vel bruti, loco et cubiculo, eruendo. *Forma* itaque *pedibus animalium humo impressa*, quatenus ad ipsius

ipsum animal cognoscendum, et inueniendum, dicit, vulgo vestigium appellari solet. Ex hac originaria notione, tanquam foecunda radice, plures aliae succreuerunt, sigillatum a nobis enarrandae.

§. III

Latior, pariterque vulgaris, vestigii notio

Vsus rerum docet, ad cubicula ferarum, ac stationes, homines adduci, non solum per impressa niui humoque vestigia, sed etiam per alios effectus a feris productos: veluti quod cerui cornibus frondes arborum laedant, similia. Iam cum in vestigiis non tam figura, quam vsus eius in eruendo ferae loco, spectetur, idemque vsus ex caeteris brutorum effectis (quamquam *gradu* non semper par) percipiatur; notio latior formari vulgo coepit, nempe cuiuslibet effectus animalis, unde huius vel existentia, vel locus, cognoscitur. Quae notio, quamquam a priori diversa, nihilo tamen magis, quam illa, ad doctos pertinet.

§. IV

Vestigii notio, et definitio, huic tractationi propria

Alio deinde modo latior vestigii formata est notio: Primum omissa bruti, vel animalis, notione, generalis cuiusque rei est posita; ita ut sint vestigia elusionis, libertatis, felicitatis. Deinde, pro impressa humo pedis forma, animo homines conceperunt paruum effectum, vel paruum opus. Dixerunt itaque, quemlibet paruum rei effectum, cuius ope eius reliqua existentia cognoscitur, VESTIGIVM. Vnde INVESTIGARE est ex paruo rei effectu reliquam eius existentiam cognoscere. Atque hanc notio-

A 2

tionem

tionem, ceu peculiarem mentis actionem, artis plenissimam, hac scriptione sumimus explicandam.

§. V

Latissima inuestigandi notio, inventioni Synonymica

Facilis autem est, ab ista *inuestigandi* notione, ad notionem generalissimam *inueniendi* transitus. Nimurum si pro effectu *paruo* ponas quemlibet effectum, tunc utique *inuestigatio* idem erit, atque cuiusque rei *inuentio*. Quamquam etiam *effectus*, simulque *inuestigatio* ex *effectis* elicienda, a nobis saltem ad res existentes, et individuales, referatur, *inuentio* autem et in rebus singularibus et vniuersalibus aequae locum habeat; tamen, cum et vniuersalibus rebus, per *fictionem*, soleat tribui quaedam *existentia*, facile erit *inuestigationem* in ipsis veritatibus vniuersalibus animaduertere. Atque ista INVESTIGANDI notio, quae *inventioni* aequiualeat, Latinis admodum visitata, a nobis tamen nunc negligitur; scilicet non *inueniendi*, sed *inuestigandi*, artem explanaturis.

§. VI

Vestigia comparantur I. cum fragmentis

Operam dedimus, vt *inuestigatio*, quae circa paruos effectus versatur, (§. IV.) distingueretur a tribus aliis maxime affinibus notionibus; a duabus nimurum nimium concretis, (§. II. III.) et alia nimis late patente, siue nimis abstracta. (§. V.) Nunc nostra interesse putamus, vt vestigia comparentur cum aliis rebus, nomine quidem longe sciuntis, sed quoad notionem arte conjunctis, itidemque affinis. Sic norunt omnes indolem *fragmentorum*; quo nomine

nomine veniunt partes sic *auillae*, (vti frangendo inprimis fieri solet) vt, cuius corporis partes fuerint, possit intelligi. Neque enim illud fragmenti latus, quo auulsum est, cum villo alio corpore congruit.

§. VII

Vestigia comparantur II. cum reliquiis

Quod in rebus solidis, et continuis, sunt *fragmenta*, id in rebus aggregatis sunt *RELIQVIAE*: veluti naufragii, exercitus, opum, sive librariarum, sive aliarum. Hinc antiquae supellec̄tilis Graecae, atque Romanae, reliquiae, sive vasā, magno apud doctos homines sunt in pretio: pariterque, ex ossilegio piorum hominum, cultus enatus est superstitiosus *reliquiarum*. Vana autem est eorum reliquiarum admiratio, quae indicia eius corporis, vnde ablata sunt, nulla habent, et hinc eo turpior collendi supersticio. Vti enim *fragmentum* non est, quod ad cognitionem totius corporis nihil adiumenti affert; sic *reliquiae* sunt ineptae, imo plane nullae, nisi aliquo modo, cuius rei, vel corporis, sint reliquiae, admoneant. Caeterum patet, vti vestigiis fragmenta, notionis affinitate, sunt coniuncta, (§. VI.) sic etiam cum iisdem vestigiis non male comparari *reliquias*.

§. VIII

Vestigia comparantur III. cum ruderibus

Res mobiles, cum pereunt, raro eousque statim pereunt, vt penitus evanescant; plerumque aut *fragmenta* post se relinquunt, aut *reliquias* superstites habent. Mores immobiles, arte exstructae, primum intereundo *ruinas*

A 3

relin-

relinquent, et ex his R V D E R A emergunt: quae, quamquam ipsa adhuc aliquid molis habeant, tamen, cum integrō opere comparata, *paruae*, et *humiles*, sunt pristinæ *molis reliquiae*, vnde de toto opere adhuc potest iudicari. Non obscurum itaque est, vestigia non minus apte cum ruderibus, quam cum fragmentis, (§. VI.) atque reliquiis, (§. VII.) comparari.

§. IX

Vestigia comparantur IV. cum via

Nec poenitebit vestigiorum notionem comparasse cum V I A. Est enim V I A, *series vestigiorum*. Noui quidem, Geometris, et Mechanicis, aliam explicacionem placere; ut *via* sit distantia, sive linea breuissima, a loco ad locum. Sed haec notio a doctis in suae artis est vsum formata. Vulgaris notio ea est, quam hic amplectimur; quaeque ab illa mirum in modum differt. Etenim Geometra a quolibet loco ad quemlibet viam quandam animo cernit; vulgus eo, quo nemo adhuc commeauit, viam dari negat; et loca deserta appellat. Itaque via datur, vbi sunt *vestigia*, quibus noscendis, et premendis, ad optatum locum perducamur.

§. X

Vestigia comparantur V. cum indicis

In foro, maxime vbi de caussis criminalibus quaestiones habentur, autorque facinoris quaeritur, INDICIA solent accurate conquiri. Sed indicium ibi nonsolum est, quo quis facinoris conuincitur, vti propria confessio, testimoniū sufficiens, et irrefragabilis, copia; aut alia, quae param

DE O V E S T I G I I S

7

rem cum illis autoritatem habent; sed est facinoris quisque effectus, aut concomitans circumstantia, quae ultius querendi, et facinoris architectum eruendi, facultatem dat. Quapropter magna est *indiciorum* similitudo cum vestigiis; et quidem tanta, ut vix quisquam dubitet, pro indiciis, ipsam *vestigiorum* appellationem in causis criminalibus crebrius adhibere.

§. XI

Quomodo investigatio ad fragmenta, reliquias, ruderas, vias, et indicia, pertineat?

A vestigiis oritur INVESTIGATIO, quae est rei ex paruis eius effectis cognitio, (§. IV.) siue breuius: *vestigiorum tractatio*. Intelligitur hinc, *investigandi* actionem, studium, labore, cum tractandis fragmentis, (§. VI.) spectandis reliquiis, (§. VII.) contemplandis rudibus, (§. VIII.) querendis viis, (§. IX.) et cognoscendis indicis, (§. X.) maximam habere coniunctionem; eam praesertim, vt, simulac *investigationis* arcana sint prodita, facile posthac sit de reliquiis, fragmentis, rudibus, viis, praecepta dare; quo pacto nempe intellectus noster in tractandis his rebus recte, et insigni cum fructu, queat, ac debeat, versari. Vbiique nempe animus a minori ad maius progreditur; vbiique in inueniendo, nempe obiecto quodam existente, siue praesenti, siue praeterito, versatur: vbiique oculo ferme res geritur, sed mentis acie confirmato, vt quod rerum ignarus, quamquam sensibus obuium, non cernit, doctus tamen, artisque gnarus, cernat.

§. XII

¶ XII. Usus artis investigandi in re Critica. Quam late pateat investigatio, quantumque in plurimis artibus, in negotiis, in foro, spondeat utilitatis, non est prolixus aut impediti laboris, post illam notionum affinum comparationem, accurate explicare. Fragmentorum enim nomen, quem non statim admoneat Artis Criticae, et, quae eius pars est multo impeditissima, Therapeuticae? Quotiescumque enim in disceptationem adducitur Glossema, eodem modo de eo iudicandum est, quo de fragmentis corporum solet iudicari; quae iudicia regulis includere annis est. S. V. HEVMANNVS in *Parergis Criticis*. §. XXIV. seq. Pariter e fragmentis tabularum, integras instaurare tabulas Criticae pars est; eoque audacior, quo maiorem tabulae partem, fato nobis ablataam, ex ingenio procreare, orbique reddere, conatur Criticus. Cuius rei exemplum, praef multis illustrer, praebet *Tabula Duelliana* marmorea, confracta ruinis, multisque circum spoliata partibus, quam suppleuit ingenium PETRI CIACHONI Tolentini, ut videre est in VBERTI FOLIETAE *Libro II.* de Lingue Latinac vslu et praestantia.

¶ XIII. Usus artis investigandi in re Antiquaria. In Numis itidem tractandis, quis non videat, vestigiorum fragmentorumque vslum occurgere? praesertim in attritis longo vslu, vbi paucis literis, literarumque, et imaginum reliquis, tota est numi facies instauranda? Quid quod rei antiquariae cognitio, paene tota, est quaedam inue-

inuestigatio; sive ea in fragmentis antiquae supellectilis,
 sive in reliquiis, sive in ruderibus, cognoscendis tractan-
 disque versetur, sed vario tamen modo exercenda; ut po-
 stea ostendetur. Vellemus, ut illa aetas, quae primum re-
 liquias piorum, vel sanctorum, eruere, spectare, mira-
 ri coepit, studiosior fuisse verae *reliquiarum* notionis. Sic
 sane intellectisset, plane inanem esse reliquiarum speci-
 em, quae eius corporis, cuius dicuntur *reliquiae*, nullum
 indicium, nullam notam, et ne quidem suspicionem,
 praebere potest: id quod in omnibus corporibus putre-
 factis, et ossibus, fieri necesse est. Quam difficultatem,
 rationisque scrupulum, sentientes, suis reliquiis, multis ad-
 hibitis fabulis, aliquam reliquiarum notam demum impri-
 mere coacti sunt. Ut in cultu *reliquiarum*, etiam tum,
 cum forte mendacio carent, duplex error contineatur:
 alter *rationis*, quae pro reliquiis habet, quae reliquiae non
 sunt, nisi sensu ex Etymologia petito, qui autem ad rem
 antiquam illustrandam nihil valet: alter *religionis*; cum
 fragmentum eius rei adoratione colitur, quae ne tota qui-
 dem, aut integra ac praesens, adoranda fuisse.

S. XIV.

Vsus artis inuestigandi in viis detegendis.

Per vias stratas sine errore incedere, vel in coe-
 cos cadit. Sed doctrinae ope, viae, ubi nulla adhuc appa-
 rent veititia, inuestigantur, a nauigatoribus, ab iis, qui
 per deserta et arenosa loca itinera faciunt. Variae hic
 adhibentur artes hinc subtiliores, hinc sola *experientia*
 nixae. Sed esse quandam vias aestimandi, sine arte, fa-
 cultatem, quae tamen ad artem forte possit reuocari,

B

exemplo

exemplo hominum, in quibus istam ingenii vim minime
suspiceris, barbarorum patet, Americam habitantium:
qui non solum sine praeceptis subtilioribus, sed et sine
villis regularum subsidiis, et syluarum, et maris, errores
vitare norunt; vt innata ipsis tam singularis itinerum
scientia videatur. Inde vero, quam caeteras gentes
omnes praestent in iis viis detegendis, quae iam iam vesti-
giorum quidpiam conspicendum praebent, facile quis-
que suspicetur. Quo magis autem apud nostros admis-
tationi esse potest ista sagacitas, eo minus poenitebit,
eam, qua in gente reperiatur, autoritate quadam con-
firmare. Audiamus le P. DE CHARLEVOIX
Histoire de la Nouvelle France T. III. Lettr. XV. p. 239.
„D'ailleurs ces Peuples (de Canada) ont un talent ad-
„mirable, je dirroit volontiers un instinct, pour con-
„noître si l'on a passé par quelque endroit. Sur les
„herbes les plus courtes, sur la terre la plus dure, sur
„les pierres mêmes, ils découvrent des traces, et par
„la façon, dont elles sont tournées, par la maniere,
„dont ils sont écartés, ils distinguent, dit-on, les ve-
„stiges des Nations différentes, et ceux des Hommes d'
„avec ceux des Femmes. J'ai lontems cru, qu'il y
„avoit de l'exaggerations dans ce, qu'on en racontoit,
„mais le rapport de tous ceux, qui ont vécu avec des
„Sauvages, est si unanime sur cela, que je ne vois aucun
„lieu d'en soupçonner la sincérité. *Lettre XXI. p. 304.*
„Leur imagination tient de prodige, il leur suffit d'avoir
„été une seule foi dans un Lieu, pour en avoir une
„idée juste, qui ne s'efface jamais. Quelque vaste et
„peu battue, que soit une Forêt, ils la traversent, sans
s'ega-

„s'egarer, de qui se sont bien orientés : Les Habitans
 „de l' Acadie et des environs du Golphe de Saint
 „Laurent se sont souvent embarqués dans leur Canots
 „d'ecorce, pour passer a la Terre de Labrador, et cher-
 „cher des Esquimaux, avec qu'ils étoient en Guerre; ils
 „faisoient trente et quarante lieues en pleine Mer sans
 „Boussole, et alloient aborder precisément à l'endroit,
 „ou ils avoient projetté de prendre terre. Dans le tems
 „le plus nébuleux, ils syvront plusieurs jours le Soleil,
 „sans se tromper : le Cadran le plus juste, ne nous in-
 „struit pas mieux de la marche de ce bel Astre, qu'ils
 „ne le peuvent faire par la seule inspection du Ciel; aussi
 „quoiqu'on puisse faire pour les désorienter, il est bien
 „rare , qu'on vienne a bout de leur faire perdre leur
 „route. Ils naissent avec ce talent, ce ne point de fruit
 „de leurs Observations ni d'un grand visage; les Enfans,
 „qui ne sont point encore sortis de leur Village, marchent
 „aussi sûrement, que ceux qui ont le plus parcouru le
 „Pays.

§. XV.

Vtius artis inuestigandi in re criminali.

Parum abest , quin instar quoddam *artis inuesti-*
gandi nobis praebant Iuris Criminalis autores. Certe
 criminum vindex in inuestigatione et sceleris, et autoris,
 plurimum laborat. Hunc itaque instruunt doctores iuris
 criminalis; eundo per singula criminum genera, et, quid
 in quolibet aut vestigium, aut certum indicium, corporis
 delicti praebat, enarrando ; similique ratione, quomodo
 autor delicti quaerendus sit , et conuincendus , decla-

B 2

rando.

rando. Cum res omnis ad *indicia* redeat, hoc est, ad circumstantias facti, quae iudici de crimine, vel illius autore, fidem faciunt, ut loquitur III. ENGAVIVS in *Elem. Iuris Crim.* p. 343.: si quis de *circumstantiis*, vel *indiciis*, *lenioribus*, et *exilioribus*, disputaret, quorum ope demum ad luculentiora, et certiora, *indicia* permeniatur; is utique peculiarem artis *inuestigandi* partem traderet, exacte cum nostra *vestigiorum* notione consentientem. Nunc autem *inuestigatio* sive corporis delicti, sive delinquentis, promiscue et *vestigia*, et certa *indicia*, complectitur; adeoque illam latiorem notionem habet, quam in hac tractatione non spectamus. (§. V.) Attamen, quia *inuentio* et *patefactio* criminis, ac rei, ipsam *inuestigationem* (strictiori sensu summatam) complectitur; non est dubium, quin Philosophica *vestigiorum* pracepta utilitatem non mediocrem queant afferre *vestigiis* criminum detegendis.

§. XVI

Vsus artis inuestigandi in re Historica

Pariter *vestigia* legendi studium rem *Historicam* admodum iuuat. Patet enim, omnem rerum gestarum cognitionem *autoritatibus*, sive *testimonij*, nit. Sed quaedam *historiae* habent luculenta sua *testimonia*, vnde, ceu ex apertis, accurateque *perscriptis*, magna cum fiducia expromuntur. Atque hae partes *robur*, et ipsam compagem, *Systematis Historici* constituant. Aliae vero partes non aperte in documentis vetustis *descriptae* reperiuntur, neque *disertis* verbis *indicatae*, sed *subindicatae*; ut non res gesta ipsa, sed eius saltem *vestigium*, appareat. Cuiusmodi disputationes, quo maiorem ingenii vim in dilectan-

disceptantibus desiderant, eo plus solent laudis admirationisque habere. Nostra vero aetas, in amplificanda vetere historia, quid aliud praestare possit, quam ut vestigia legat, non apparent. Aperte enim a priscis auctoribus, ad posteritatis memoriam, perscripta, nimis iam a maioribus excusa, et inde nimis nota, atque trita, sunt, quam ut in illis vel colligendis, vel repetendis, bene merendi materies sit relata. Exemplum autem disputationis, ex vestigiis deductae, in historia Sacra sit quaestio, de Creophagia ante diluvium licita; quam apertis testimoniis, neque qui negant, neque qui affirmant, tueri possunt. Ex historia Civili, origo Electorum pariter ex vestigiis, non ex legibus imperii, aut aperto quodam Statuum imperii instituto, est exquirenda. Adhuc disceptationes huius generis suo quisque iudicio, atque arbitrio, moderatur; ars inuestigandi ad Historiam applicata leges etiam horum certaminum datura est.

§. XVII.

Vsus artis inuestigandi in re Hermeneutica

Interpretis multa, ac uaria, sunt officia, ad duo tamen summa capita facile referenda. Saepe is autorum ea dicta illustrat, quae in se, et certo lectorum generi, admodum sunt perspicua, alii autem obscura apparent, qui nempe rei, de qua agitur, ignari, nec satis praeparati, ad legendum librum, tametsi perspicuum, accedunt. Sed solent autores non omnia, quae cogitant, disertis verbis explicare; multa subindicant, subinuunt, oblique dicunt; quae itidem ab aliis lectoribus sine monitore, vti pars est, subintelliguntur, aliis vero, nisi interpretis officium

B 3

accedat,

accedat, nullo modo patent. Earum itaque rerum, quae non aperte, sed oblique, dicuntur, nec indicantur, sed subindicantur, *vestigia*, et tenuiora indicia, ostendere, ac declarare, interpretis est officium; id quod, tametsi explicatu difficilius, minime negligendum, sed potius vrgendum, duximus in libro nostro Hermeneutico: Einleitung zur richtiger Auslegung vernünftiger Neden und Schriften §. 361. seqq.

§. XVIII

Axiomata quaedam ex notione vestigiorum deducta

Nolo plura addere artium genera, quae vestigiis, et inuestigandi arte, carere non possunt. Satis valent, quae enumerauimus, ad cognoscendum: I. Vestigia saltem a nobis ponni in rebus existentibus: siue hae praesentes sint, siue praeteritae; non autem in notionibus, ac veritatis, vniuersalibus. Quamquam enim negare nolle, in his ipsis doctrinis, *vestigiorum* et *inuestigationis* quoddam instar deprehendi, certe fingi posse; cum et ipsae inueniri debeant; satius tamen nobis videtur *propriam* vestigii notionem adhibere, et tanquam peculiarem mentis actionem considerare, si quando ea in eruendis *existentiis* rerum versatur. Nec minus II. patet, vbi cunque vestigii, aut inuestigationis, notio a nobis ponitur, aut in artibus adesse cognoscitur, ibi non qualem cunque rei indicium, aut qualem cunque inuentionem obtinere; sed eam cognitionem, vbi, ex tenui, exili, minusque patente parte, atque indicio, totius entis existentia, aut plures eius qualitates, eruuntur. III. Vnde denuo patet, non de inueniendi vniuersa arte, sed de eius *parte singulari*, quae circa res existentes

existentes versatur, et de singulari insuendi modo, nempe ex tenuioribus, remotisque, signis, atque indiciis agere, IV. Signorum autem speciem esse vestigia, palam est. Saltum, cum plerumque manifesta, luculenta, et minime fallacia, signa rerum exoptentur, ut exoptanda omnino sunt; nostra tamen tractatio, signis exilibus, remotis, nec a fallen-
di periculo semper sciuntis, destinata est commendandis: ut scilicet a reliquorum indiciorum, et signorum, genere distinguantur, acriori studio colantur, et, cum iis nullo carere queamus modo, iusto in pretio habeantur.

§. XIX

Tres operationes inuestigationem exhaustientes

Omnis actio nostra, quae circa vestigia versatur, *inuestigatio* a nobis appellatur. Sed ista initio quidem videtur esse simplex, semperque eiusdem indolis, cum accuratius inspecta, diuersas actiones complectatur; et quidem vehementer diuersas. Prima est; VESTIGIA AG-
NOSCENDI, si nempe nobis offerantur: (die Spur finden) altera est; VESTIGIA QVAERENDI, ubi nulla nobis offeruntur; (die Spur suchen) tercia est; VESTIGIA PREMENDI, (der Spur nachgehen) siue ex vestigio ad rem ipsam, cuius vestigium adeat, eniti, vel saltem pro prius accedere. Latina phrasis: *vestigia legere*, haec promiscue indicat; ut ipsa inuestigationis vox: unde est, quod nullam ea nobis praestet utilitatem. Sed ubi in curam de *vocabulis* adducti sumus, hanc dissimulare minime possumus; quomodo ea *res*, cuius vestigia vel quaeruntur, vel agnoscuntur, vel iamiam premuntur, sit compellanda: neque enim hic eiusmodi vocabulum cognatum, ut in

signo

signo et SIGNATO habemus, sese nobis offert; nisi rem INVESTIGANDAM, ad eius imitationem, adhibere velimus. Ut autem nauseam, quae crebrior eiusdem vocis creare solet repetitio, ab auribus arceamus, notari velimus, rem *inuestigandam* posse quoque haud incommode dici, TOTVM; quia vestigium semper in star alicuius exilis partis, totum rei ambitum ingredientis, potest spectari; nec non OCCVLTVM; id enim, ad quod cernendum, vel obtainendum, per vestigia contendimus, semper occultum est, atque absconditum. Porro FINIS, et SCOPI, voces non male adhibentur, quippe omnis uestigandi actio desinit in eo obiecto, cuius uestigia tractantur.

S. XX

Quid effectus exiguis sibi velit?

Tergeminæ autem istæ operationes, inuestigationem nunc singulæ singulatim, nunc coniunctæ, constituent, (§. XIX.) ut eo facilius præceptis comprehendì, suo tempore, queant, ipsa vestigii notio adhuc accuratius circumscribenda, et, adfusa aliarum adnotatio- num luce, illustranda est. Etenim *exiguum effectum* cum dicimus, non statim omnibus patere potest, quo illa *tenuitas*, et *exiguitas*, debeat referri: num ad res ab uestiganda diuersas? an vero ad rem ipsam inuestigandam; an denique ad alias rei inuestigandæ effectus? Si nihil horum, exclusis caeteris, secum quis constituat, eo ipso tota vestigiorum perceptio vaga, et ambigua, redditur. Itaque, *exiguo effectu* cum audimus, non solum suspicandum, aut subintelligendum, sed perspi-
cere

que sciendum atque tenendum est, exiguo eos dici, in relatione ad alios eiusdem rei effectus, magis nimis illustres, et a tota causae efficientis vi productos. Sic magna, et singularis, pictoris ars et in tabula integra eleganter picta, et in linea penicillo ducta, apparet; sed in linea vestigia saltem singularis artis deprehenduntur; certa autem et luculenta indicia in tabula integra.

§. XXI

Effectorum notio vaga accuratius determinatur

Sed, cum effectus notio utramque in nostra hac Theoria faciat paginam; nec tamen, prout iacet in libris Ontologicis, vnde nostroae meditationi satis congruat; itidem, quae nobis de effectis stet sententia, paulo accuratius explicandum videtur. Eo nimis nomine tria solent comprehendendi, quae nunc separatim existunt, nunc coniuncta spectantur. I. Primum nomine effectus indicatur nuda ACTIO rei, quae extra se nihil quicquam producit, quod a nobis animaduertatur. Sic gesticatio quamquam non careat effectu, certe in aere, itemque in spectatore; non tamen solet vulgo alterutrum considerari: hinc gesticatio est nuda actio. Similiter nutatio pedum, titubans oratio, rubor, vel pallor faciei, fuga hominis et ita porro. II. Deinde eodem nomine denotantur MVTATIONES, per actionem in aliis rebus productae; eius tamen generis, ut magis sint qualitates, quam substantiae productae; veluti si unus infligatur; si in erroris societatem quis pertrahatur; si quis ad conniunctionem usque erudiatur: si corpus loco mouatur, et alibi collocetur;

C

locetur;

locetur; si terra vomere subigatur: similia. III. Per eminentiam autem tandem effectorum nomine veniunt OPERA: sive eiusmodi mutationes per actionem productae, per quas nouae substantiae, certe nouae quasi substantiae producuntur. Sic per generationem nouus homo producitur; aedificando templum, vel palatium; fundendo campana, vel tormentum; fingendo simulacrum vel vas; texendo velum; condendo arbas, vel Academia, et ita porro. Quemadmodum itaque effectus nomine, et nuda actio, et actio alteri rei impressa, et opus productum, comprehenditur, sic etiam vbi vestigium spectas rei alicuius, huius vel nudam actionem, vel actionem alii rei impressam, vel plane opus quoddam, species necesse est.

§. XXII

Analogia effectorum bina explicantur.
Neque hic Analogia quaedam effectorum silentio prætereunda sunt; quorum primum ex rationibus Opicis enascitur. Nimirum per situm, et statum, spectatoris, corpus, aut phænomenon quamplutimas diuersissimasque nanciscitur formas; et quidem a nativa rei forma nonnunquam visque adeo diuersas, vt facilius ex minimo vestigio totam rem, quam ex eius imagine, agnoscas. Sic vbi corpus ob distantiam in punctum vertitur; hoc effectus quandam speciem constituit; pariterque, vbi plane aliam exhibet formam, quam e propinquuo spectatum loco. Facile omnes intelligunt, Astronomos in LANA non tam montes, maria, flumina, quam vestigia conspicere, vnde montium, fluminum, marium, imaginem et existentiam, non sine volupitate confidere nos docuerunt. II. Cum indicia, vel vestigia facti

facti quaerentes, et aestimantes, non unquam *antecedentia* facti spectare soleant; necesse est, ut *ista* quodammodo ad effecta possint referri, etiam si effecta, vtpote *consequentia*, opponantur *antecedentibus*. Nimirum actio non tum demum existere incipit, cum perficitur, sed iam tum, cum animo decernitur; tuncque *finis* appellari solet. Quae igitur propter hunc finem obtainendum quis facit, vel agit, ea possunt tanquam effectus illius *finis*, nempe quatenus in animo decretus exiitit, spectari, et, per consequens, tanquam effectus illius *actionis*, quae longe ante intendebatur, tandem autem ipsa ad existentiam perducta est.

§. XXIII

Variae partes, varique limites, artis inuestigandi constitui possunt

Circumspicientibus porro impedimenta, quae *artis inuestigandi* explicationem forte morari queant, succurrat id, quod multis tractationibus Psychologicis lumen auferre solet; diuersarum nempe Theoriarum coniuncta, vel potius permixta, tractatio. Non in homines solum inuestigatio rerum occultarum cadit, sed in alios etiam spiritus finitos. Quin ipse Spiritus infinitus, quamquam omnia simul et perfecte cognoscit, eamque ob rem inuestigatione non indiget, tamen iis commodis non caret, quae nobis, caeterisque finitis spiritibus, vestigiorum solet afferre scrutatio. Latet nimirum in cognitione rerum ex paruis effectis, singularis intellectus vis atque praestantia, quae propterea suo modo, et imbecillitate remota, intellectui infinito denegari non potest. Cui igitur artis inuestigandi

C 2

ex-

explicationem aggregi volupe est, hic secum ante constitutre necesse habet, vtrum eam, quousque in homines cadit, exponere velit; quae tractatio est *Psychologica*: an vero in viuierum de investigatione, quae in spiritus finitos quo seunquecadit; quae tractio *Pneumatica* partem constituet. Sed multo adhaec subtilior foret illa tractatio, quae de investigatione, in viuierum praeccepta daret, ad ipsum Spiritum infinitum accommodanda. Promiscue si haec omnia cogitentur, ac tractentur, quod plerisque notionibus Psychologicis adhuc nocet, verendum utique est, ne praecpta singantur, quae parum sibi constent, multoque adhuc minus ad actionem, et negotia prudenter gerenda, sint accommodata.

§. XXIV

Quo patto res sint imperiusligabiles? Quid sit sagacitas?

Atque, vt, specimen quodam dato, discriminis starum theoriarum quedammodo cognoscatur; inuestigandi facultatem, quam Scholasticae doctrinae admirator inuestigabilitatem vocaret, monemus non magis pendere a natura rei, quae quaeritur, quam ab ingenio quaerentis. Res occultae iam quaelibet, natura sua sunt inuestigabiles, ita vt ex remotissimis pariter, atque minimis, suis effectis, possint agnosciri atque cognosci. Id singularis cuiusque rei natura, id Principium indiscernibilium, id nexus rerum, facile nobis persuadet. Vnde satis constat, vestigia rerum passim adesse, vbinde adesse quidem posse homines vulgo suspicantur. Intellectui autem perfectissimo nihil non esse peruestigabile, ideo patet, quod is omnia cognoscit, quae, vt cognoscantur,

noscantur, contradictionem non intoluunt. Sed intellectus finiti quemadmodum innumerae dantur *formae*, ac *species*, graduum ac facultatum varietate, mirandum in modum diuersae; sic non id omne, cuius vestigia exstant, cuique propterea spiritui finito est inuestigabile. Fieri enim potest, vt effectus quidam, in fere ad cognoscendam rem, quae effectum produxit, omnino idoneis, aut plane non percipiatur, aut non satis clare percipiatur; aut, quamvis clare percipiatur, ad causam tamen suam, ob defectum principiorum cognoscendi, minime referatur, adeoque ne quidem vestigiorum usum praefet. Sic vulnerum cicatrices, speciem vestigiorum exhibent; pri-*stini* nempe vulneris. Iam ex *paulo maiori* vulnera natas cicatrices quilibet homo, ex *minori* saltem Chirurgus, ex *minimo*, quale culices infligunt, forte ne hic quidem, nisi ope Microscopii, animaduertat. Nec dubitandum est, minima quodque vulnus, etiam tunc, cum exactissime coit, vt nullam, vel armato oculo, cicatricem conspi- ciendum praebeat, habere tamen sua vestigia; nostrorum quidem oculorum aciem, non tamen quantumvis magna sensuum aciem fugientia. Itaque quid *inuestigabile* sit, vel *minus*, nequaquam accurate potest constitui, nisi quandam intellectus *speciem*, vel humanum puta, vel humano celsiorem, ponas, et cum huius viribus effectus rerum compares diligenter. Nostra autem haud dubie interest, ma- xime nosse, quid ab hominibus, vestigiorum adiumento, possit cognosci. Id igitur ante omnia ars *inuestigandi* tractabit. Si iterum in aliqua entium intelligentium specie deprehendas *individua*, quae reliqua sui generis, vi et facul-

facultate ista vinctant, his SAGACITATEM tribues: quae nihil aliud est, quam *maior inuestigandi facultas.* A canum odora vi, vocem desumptam esse, non opus est, vt operose doceamus.

§. XXV

Quomodo gradus vestigiorum sint aestimandi?

Rerum similium quantitates appellari *Gradus*, notum est: non aeque autem perspicuum, quomodo gradus rerum sint aestimandi? Id igitur in vestigiorum comparatione vt prudenter fiat, nostrarum esse partium ducimus, vt non intactum relinquamus. Cum vestigium omne sit effectus exiguis, quo ad reliquam rei cognitionem ducimur, id statim I. patet: eo magis quidque vestigii dignitatem tueri, ac laudem mereri, quo magis ad totius rei cognitionem nos dicit; vnde variae vestigiorum qualitates, et laudes, oriuntur. Quod enim aliud ista sua virtute vincit, id aut *propinquum*, aut *plenum*, aut *expressum*, appellatur; illud autem quod vincitur, *remotum*, *vagum*, et *obscurum* audit. Cum II. vestigium a reliquis rerum signis atque indiciis eo differat, quod sit effectus exiguis; ex hac ipsa exilitate gradus quin eliciantur, nihil prohibet. Quo enim minus nostros sensus obuium vestigium ferit, quoque facilius effugere spectatoris aciem potest, eo *exilium* est aestimandum. Sic in petrefactis nonnunquam integræ haerent animalium formæ; nonnunquam magis reliquiae formarum, quam ipsæ formæ, conspicuntur; nonnunquam tam exiguae reliquiae, vt exercitato opus sit spectatore, qui vestigia formæ, pristinique corporis, animaduertat. Atque haec exilia vestigia, nihilo minus

nus magnam habere vim possunt, imo perfectam, morandi et demonstrandi. Sic Pictor nomen suum tabulae, vel integrum, vel in compendium redactum, tanta arte potest inscribere, ut exilitas literarum effugiat fallatque plerorumque oculos spectatorum.

§. XXVI

Quomodo vestigium agnoscatur?

Iam si ipsam *inuestigandi* notionem intimius scrutari Lectoribus allubescat, recordentur, si placet, triplicem vna voce comprehendi mentis actionem; (§. XIX) de quibus singulis sigillatim est differendum. Prima autem *inuestigationis* pars, sive species, est, quae ad *agnoscenda* vestigia spectat. Qua in re mens nostra sic veratur, ut de oblata quadam re iudicium formet: *haec res est effectus exignus huius vel illius rei* (quae nempe *inuestigatur*.) Sic venator oblatam formam plantae pedis, humo impressam intuetur, tanquam effectuum ferae: sic chirurgus minimam cicatricem intuetur, ceu effectum, vel reliquias vulneris. Explicandum iam est, quo pacto illud iudicium in mente oriatur. Cum enim non in cuiusvis spectatori animo excitetur, sicuti multi vestigia, quamvis obvia, non animaduertunt, necesse est, ut peculiaris mentis status ad formandum iudicium de obvio vestigio requiratur. Atque hic forte putent plurimi, facillime totam rem intelligi posse et explicari, si teneamus: *conclusio- nem fieri ab effectu ad caussam*. Et sit omnino in mente *inuestigantis* regressus ad caussam ab effectu; neque id tamen propterea quaerenti arcana *inuestigationis* satisfacere,

aut

aut eius sciendi potest explere cupiditatem. Duo enim adhuc valde obscura manent; alterum, qui fiat, ut oblatam rem tanquam effectum spectes? alterum, cum rem oblatam ceu effectum spectas, quo pacto, quae ratione, ex notione effectus enascatur notio causae? Primum quod attinet, satis appareat, quamquam omnes res finitiae sint effectus, visitatum tamen non esse, vnamquam oblatam rem, quatenus est effectus, spectare; sed peculiares saltem circumstantias in cogitationem effectus nos adducere. Sic enim, vbi in sylva deambulo, cerno arbores varium inter se situm obtinentes, nec tamen aut effectum, aut causam, cogito; si vero alicubi reperio arbores certo ordine, per orbem, exempli gratia, aut per lineas parallelas, dispositas, a cogitatione causae, atque effectus, temperare mihi vix possum. Ut itaque intelligatur, quas demam res, nonsolum quales in se sunt et apparent, sed etiam ceu effectus, spectare soleamus, hanc regulam ponimus: quicquid ita percipitur, ut nonsolum sensum externum, sed etiam internum moueat, id non solum in se, sed etiam ut effectum rei, spectare solemus; siue eius rei causam requirimus, vel certe in memoriam revocamus. Cuius praecepti veritatem, ex natura sensus interni demonstrandam, illustrabit nostra *Theoria sensus interni*, intexta *Logicae sacrae p. 212.* Mouent autem sensum internum, quae vel afferunt voluptatem, vel taedium patiunt, vel admirationis quidpiam habent, vel contradictionem inuoluere videntur, vel, per legem imaginacionis, multas ideas simul nobis in memoriam revocant. Ex his Principiis explicatius declarare licet, quo pacto minimi

minimi effectus sensibus oblati, a quibusdam spectatori-
bus curiose, et ceu effectus spectentur, ab aliis, quan-
quam percipientur, tamen plane negligantur. Ut ex
multis exemplis, quibus variae caussas inuestigandi
occasions, variaque *motiva*, illustrari poterant, vnum
hoc proferamus; quod multos maritos vehementer
mouerit, et forte nullum non moueat, in cubiculo
vxoris pileum non suum, vel chirothecam non suam,
deprehendisse. Praecepit quidem, et Zelotypus, statim
caussam ingenio suo fingit; quilibet vero, vel placi-
dissimus, caussam certe requirat; ideo quod insolens est,
alienam supellectilē in supellectili vxoris, cui vsui esse
non potest, deprehendi.

§. XXVII

Quomodo ex vestigio caussa agnoscatur?

Vbi vero animus, lege antea data excitatus, pro-
positam et oblatam rem, tanquam effectum, spectat;
ulterius declaratione indiget, quo pacto effectum *huius*
vel illius rei esse agnoscat. I. Et maxime naturalis ratio est,
agnoscendi vestigium, si caussae efficienti effectum
exiguum producenti praefens fueris, vestigique *genesin*
spectaueris; deinceps vero, oblatō tibi isto effectu,
caussae efficientis recorderis. Sic Amaryllis, quae Me-
nalcam cortici arboris *literam* acu incidere viderat,
longe post agnoscit vestigium acus, et scriptoris Menal-
cae. Opus hoc esse memoriae omnes intelligunt, *quae,*
reproducta idea partiali reproducit totalem, vi regulae Psychologicae.
Eaque mentis operatio nihil artis, nihil subtilitatis ha-
bet;

D

bet; ideoque in arte inuestigandi prope negligenda vide-
retur, nisi in qualibet arte, *principia*, licet maxime per-
spicua, accuratissime tamen inspicere iuuarer. Nobis
ista sufficient. II. Alterum modum vestigia agnoscendi
hunc teneas. Si nempe *vestigium* fieri videris, 1. potes
hinc formare *locum communem*: *talem rem tale vestigium relin-*
quere, quale nempe generari vidisti. Et 2. per conuer-
sionem illus loci communis, formare licet propositionem:
tale vestigium, talem caussam supponit. Huius ope, si exem-
plum illius vestigii obuium habeas, 3. opeque ratiocinii
cuiusdam, ex imagine vestigii, imaginem *caussae absentis*,
sed vtique imaginem generalem, seu abstractam, formabis.
Atque hoc modo venatores vestigia ferarum agnoscunt.
Primi inuestigatores ferarum, vbi feram vel occiderunt,
vel in fugam praecepitam coniecerunt, vestigia relicta
inspexerunt; ex inspectis *locos communes* formarunt; de-
nique ex ipsis locis communibus feras a se non vias inue-
stigare consueuerunt, suosque tyrones docuerunt. Si-
militer, si granula quaedam pulueris pyrii, chartae impo-
sita accenderis; flamma relinquet maculas quasdam,
chartae inustas. Nihil iam obstat, quo minus ex hoc
exemplo, formes *locum communem*, huiusque beneficio, si
forte conspicias chartam similibus punctis distinctam,
in ea charta vestigia incensi pulueris agnoscas, ipsum-
que factum eo pacto inuetiges.

§. XXVIII

Tertius, isque difficilior modus vestigio caussam agnoscendi
III. Fit porro ut vestigium sit obuium; ens itidem,
quod vestigium suae actionis reliquit, tibi sit iam ante
notum,

notum, adeoque ut saltem opus sit, ut vestigii percep-
tio te admoneat autoris; vestigium tamen non sit tale,
vnde tu, vel alii, consueuerunt elicere inuestigationem.
Saepe enim autor caedis, vel furti, vel incendii, in con-
spectu iudicis *cum vestigio*, versatur, nec tamen agnoſ-
citur. Sed accidit, ut vestigium quoddam quis acutior
animaduertat, vnde vel sexcenti alii in cogitationem
autoris non fuissent aducti. Breui sunt casus, vbi quis
nouam *VESTIGII speciem*, et quidem in ipso *vestigio*,
detegat. Haec mentis actio multo est implicatissima.
Huc referto, quod montes sibi videre visi sunt Astronomi
in Luna. Quam longe enim ab imagine montis distat
punctum paulo magis lucidum in Luna. Magnae, imo
maximae, sagacitatis fructus fuit ea cogitatio, oblique
tamen saltem ad inuestigationem spectans. (§. XXII.)
Sed ex effectu, proprie dicto, causam eruere sub conditio-
nibus ante positis, non minoris difficultatis res est: quae
tamen hoc modo peragitur, ut 1. cauſſae efficientis, seu
rei inuestigandae, valde claram notionem habeas, 2. et
quidem tam diffusam, ut eius effectus et consequentias,
vel omnino clare percipias, vel saltem tam prope clare,
ut leuissima admonitione fieri possint clarae: 3. hac clari-
tate efficietur, ut iudicia de variis rei effectis, etiam *per*
conuerſionem, menti ſiftantur: 4. ut de vestigio iplo aliquod
iudicium, vel intuituum, vel discursuum formeretur,
quod vni ex illis iudicijis (de effectis cauſſae efficientis)
congruat; eoque pacto illud reuocet in memoriam. Sic
ſi Titius rem neget se vendidisse, quam tamen vendidisse
noui, ſuspicio inde nasci potest, eum rem furatum esse.

D 2

Aft

Ast quomodo notio negatae venditionis, et furti, cohaerent? Nimirum insolens est, venditionem factam negare. Variae esse eius rei caussae possunt. Sed recordamus, fures et vendere solere furto ablata, fierique posse, ut venditionem, quaesiti, negent, ne per rem forte prodantur. Fit itaque 1. iudicium: *Fur negat venditionem a se factum*, 2. istud iudicium conuertitur: *venditio negata est furis; vel: cadit in furem*; hinc ratiocinium: Negare venditionem est furis; Titius negat venditionem: E. est fur. Actiones haec intellectus admodum perturbate, et maxima celeritate, fieri solent. Hanc tamen veram esse rationem vestigia agnoscendi, multo clarius probatum dari posset, si integrum Theoriam *caussae*, quomodo ad effectum se habeat, expromere vacaret.

§. XXIX

Cur vestigiorum agnitus saepius fallat?

Nobis, saluo melius sentientium iudicio, data explicatio modi, quo vestigia agnoscantur, eo magis placet, quod exinde intelligatur, cur vestigiorum agnitus, quae experientia non nititur, imo haec ipsa, non raro nos fallat; ut nempe, pro re inuestiganda, in aliam, quae nihil ad vestigium pertinet, deducamur. Nimirum in vtroque vestigia agnoscendi genere iudicium formatur: haec res hunc effectum producit; idque iudicium conuertitur, ut postea isto effectu etiam caussam ponimus iudicemus. Conuersio autem haec fieri quidem solet, sed magis imaginationis ope, quam certa ratione. Namque effusus idem, in abstractio spectatus, saepius non uno modo pro.

producere potest; et, per consequens, idem effectus *in concreto* spectatus aut vario modo produci potuit, aut certe nobis produci potuisse videtur. Sic malleus vitrum fortiter percutiens hoc frangit; sed propterea non omne vitrum fractum malleo percussum est. Sed vitrum in genere, cuiusque corporis vi fortiori frangi potest; atque hoc vitrum *in concreto* et *individuo spectatum*, quamquam intellectui satis perfecto haud dubie vestigia percutientis mallei offerret, a nobis tamen sic saltem spectatur, ut fragmenta aequa a malleo, et a fuste, et a lapide producta, et produci potuisse, videantur. Similiter massae argenteae, vel aeneae, fundendo, per formam typi, statim imprimi potest figura globi concavu; sed eadem figura tornando corpori duro potest inferri: per vulgarem itaque eiusmodi corporis contemplationem non statim constat, quomodo excavatio sit producta. Non procedere argumentationem: *Gutta cauat lapidem*, ergo: *concavitas lapidum est a guttis*; tam perspicuum est, ut vltiori probarione non indigeat. Satius est, in ea cogitationes inuertendi ratione, agnoscere opus imaginationis: quae per obuiam notionem partiale adducitur quidem in cogitationem notionis totalis; sed non ideo postulat, vt, vbi cunque notio partialis adest, ibi quoque adsit notio totalis; multo minus inuoluit, ut notio effectus, notionem caussae efficientis includat; satis est, ut menti caussam efficientem aliquo modo exhibeat, quamquam non infallibili ratione.

D 3 §. XXX.

§. XXX

Comparatio investigationis et ratiocinationis

Ex ista vero triplici ratione, ex vestigio spectato causae notionem in se excitandi, patet; *eam mentis nostrae actionem, vel operationem, quae inuestigatio dicitur, esse peculiarem quandam mentis operationem, quae a RATIOCLANDI more vulgari plurimum differat.* Etenim primus modus vestigium agnoscendi plane memoriae opus est (§ XXVII.). Alter modus ratiocinium quidem includit, (§. cit.) sed dupli ratione a natura ratiociniorum forma discedens. 1. *Maior enim propositio est Locus communis, et experientia; quam veritatibus vniuersalibus annumerare solent; et 2. eius quidem generis, ut subiectum potius contineatur in praedicato, quam hoc in subiecto.* E.g. *punctum nigrum in charta forte conspicio, illudque tanquam vestigium calami atramento imbuti specio; ope nimirum ratiocinii: punctum atrum est effectus calami atramento imbuti: Atqui hoc punctum est atrum, Ergo: est effectus, sive productum est a calamo atramento imbuto.* *Maior est locus communis ex alio loco communi, quod calamus atramento imbutus punctum atrum gignat, vel gignere queat, formatus.* Iam si notiones subiecti et praedicati compares inter se, intelleges, facilius notionem puncti atri in notione pennae atramento imbutae contineri, quam in notione puncti atrati notionem calami atramento imbuti. Quod ut amplius pateat, in vniuersum notionem *causae* cum notione *effectus* comparandam censemus. *Effectus, quantum actionem* (quam Theologi in oppositione ad exter-
nas

nas operationes, et opera, actionem immanentem in doctrina de Deo appellate solent) notat; utique est notio partialis causae efficientis. Sic cogitatio, et appetitio, quaelibet hominis in individuo spectati, est eius notio partialis. Tota enim hominis individui representatio includit eius actiones singulas. Sed effectus, ubi operationem, h. e. mutationem alterius entis per actionem productam, notat, iam non est notio partialis entis eius, quod effectum produxit. Etenim qui, per falsam doctrinam, alterius ingenium corrupit, non tamen id effecit, ut alterius peruersum ingenium fiat notio partialis suae personae: et qui statuam mutilat, non efficit, ut statua sit notio partialis suae naturae. Multo minus, ubi effectus sumitur pro *opere*, hoc tanquam notio partialis causae efficientis spectari potest. Quod enim extra ens quoddam positum est, id eius notio partialis esse non potest. Iam si ne quidem effectus est notio partialis causae efficientis; multo minus causa efficiens esse potest notio partialis effectus producti; neque causa efficiens in notione sui effectus continetur. Quare singularis est forma earum propositionum, ubi effectus est subiectum, et causa efficiens praedicatum: e. g. *vulnus est a gladio, litera in charta expressa est a calamo.* In propositionibus enim, quas Logici explicant, praedicatum semper est notio partialis subiecti, minusque complectitur quam subiectum. Sed in effectu ad causam suam relato, plus est in praedicato, quam in subiecto, nec subiectum includit notionem praedicati.

§. XXXI

§. XXXI

Inuestigatio peculiarem habet indolem, a vulgaribus ratiociniis diuersam

Quia itaque peculiarem indolem habet maior propositio, vnde ratiocinum in agnoscendis vestigiis ducitur; non dubito affirmare: inuestigationem, iamiam quoad primam hanc suam partem, habere peculiarem indolem a vulgari ratiocinandi modo diuersam. Diversitas tamen non in modo concludendi ex datis propositionibus deprehenditur, sed in *praemissa maiore*, eiusque constitutione. Subiectum nempe est *effectus*, et vestigium; praedicatum vero *causa efficiens*. Iam cum in ea propositione, non, vt in vulgaribus, praedicatum continetur in notione subiecti; quaeri poterat, quo nomine tandem haec relatio effectus ad causam sit compellanda? Ac nobis quidem nomen *congruentiae* prae caeteris placet. Duae enim res, quarum una non continetur in altera, sed extra alteram est, arctissime tamen illi est connexa, *congruere* dicitur alteri. Sic typus, in cera expressus, relinquit figuram, quae congruit typo: et globus inclusus globo concavo, huic congruit. Pariter *effectus* quilibet, hoc est mutatio entis, vel nouum ens, magis coniunctum est cum sua causa efficiente, quam cum reliquis omnibus; ideoque, nostra si quid valet sententia, *congruit* suae causae. Itaque, cum figuram terrae impressam cernimus, animus figurae illi apponit, per imaginationem, propositione vniuersali iam instructam, ideam pedis isti figurae congruentis.

§. XXXII

§. XXXII

Quomodo inuestigandi ars a doctrinis Logieis sit sciuntia?

Interest rei Philosophicae, ut vbi cunque ab illa tritissima, ex notionibus iudicia, et ex iudiciis ratiocinia formandi, lege, in aliqua mentis operatione receditur, id diligenter adnotetur: eoque magis interest, quo latius iam per eruditorum animos serpit opinio, *vitiumque subreptionis*, quasi illa, quae in Logica sufficere dicuntur cognoscendae veritati, propterea omnibus actionibus intellectus explicandis, et exercendis sufficient: quod est falsissimum. Nostra enim Logica vnicce circa *notiones vniuersales* versatur, nec singularium atque *existentium rerum vllam* rationem habet; nisi prope per modum *scholii*; quatenus nimirum, quid sit *species* et *genus*? sine indiuidui notione intelligi non potest. De indiuiduis, et *existentibus* rebus, non sunt solliciti. Porro ex istis suis notionibus vniuersalibus iudicia, et ratiocinia, formare nos docent; idque copiose et sufficienter; quatenus sola *Ratio* adhibetur: quomodo vero *imaginatio* admisceri queat usui rationis in veritatibus vniuersalibus, nullo modo curae habent. Interim nisi illud teneas; *veritatis*, qua Poetae et Oratores, omnesque stili elegantioris cultores vtruntur, *natura* explicari non potest. Neque tamen putamus, limites Logicae, quibus huensque est circumscripta, esse turbundos, aut ampliandos; saltem diligenter caueri volumus, ne illa *sufficientia* Logicae nostrae, quae ad solum systema Philosophicum spectat, pro *absoluta* habeatur; maleque ad rem *historicam*, ad rem *Poeticam*.

E

atque

atque orationem, ad inuestigandi artem, ad interpretationem, et multa alia, transferatur. Adeo ex arte inuestigandi exemplum allatum; nempe conuersonis in propositione, quam per istas visitatas verissimasque conuersonis leges conuertere non licet. Neque omnino licet, nisi per imaginationem, quae fallere nos potest. Interim si, ob fallendi possibilitem, (quae tamen aliis modis in negotiis corrigitur) istam conuersionem ferre nolimus, actum erit de omni inuestigatione; qua tamen in negotiis, inque criminibus vindicandis, carere non possumus.

§. XXXIII

Fallendi periculum non tollit artem inuestigandi

Illud porro fallendi periculum, quod inuestigationi nostrae tenaciter adhaeret, aequiori animo ferent certae cognitionis, et quae ad demonstrandi leges reuocari potest, admiratores, si haec duo cogitent. I. Est quedammodo naturae et rerum, et animae, aduersum, atque inimicum, ab effectis ad suam caussam recurrere. Naturalis enim ratio potius postulat, ut, quemadmodum ex substantia rei eius actiones, et ex actionibus operationes et opera, fluunt; sic animus *spectator*, qui naturam rerum cogitando imitari debebat, *primum* rei substantiam, *deinceps* eius actiones et opera spectare debeat, non autem ex effectis, praesertim exiguis, ad cognitionem caussae efficientis assurgere. Interim, cum animus noster omnibus rebus praesens esse non possit, quibuscum tamen ipsi negotium est; ea via ad rerum cognitionem cendum est, qua *iri potest*. Et in cogitatione utili parum refert,

fert, per quae fallendi pericula, atque per quae discrimina rerum, ad rem quaesitam perueniamus, dummodo tandem scopo, si non semper, saltem *saepe*, potiamur. II. Actiones mentis nostrae, quoad in rerum existentium contemplatione, et mutua comparatione versantur, multos abditos, et mirabiles, recessus habent. Et signifikatim, quamquam ista cognitio, *visu rationis*, et cognitione veritatum vniuersalium, multum adiuuetur, plus tamen *sensus* cuiusque proprius, isque *occultus*, saepe valet, quam *principiorum* et regularum applicatio. Sic pater, qui filium infantem amisit, eundem adultum, sibi oblatum agnoscere, vel saltem vestigia vinculi naturalis, et communis sanguinis deprehendere, *sensu* quodam acuto potest, qui ad regulas generales nunquam potest reuocari. Sic olfactore nonsolum res abditas, sed etiam subolfacere licet, quae aliorum sensum plane fugiunt. Cuius itaque *sensus*, non solum externus ille, sed etiam *internus*, vel potius *occultus*, est fortior; is utique in inuestigando erit felicior; certiusque a vestigio ad vestigium procedet, quam qui solas inuestigandi *leges*, non *instinctum*, quo caret, sequitur. COLVMBVM, credo, non sola argumentatione, sed accidente quadam singulari perceptione, in cogitationem, tantamque incogniti orbis fiduciam exarisse, vt suam, sociorumque audacissimi itineris, vitam in grauissimum adducere periculum non dubitat. Illum *sensum occultum* in omni inuestigatione plurimum valere arbitror. Quid quod leges, quae inuestigationem criminum iudices nostros docent, eo tendere videntur, vt ille *sensus* ad inuestigandum idoneus.

magis circumscribatur, quam ut acutatur. Cauere enim voluerunt legislatores, ne iudicis *sensus*, legibus solutus, vergat ad multorum innocentium discrimen atque perniciem.

§. XXXIV

Almonitio de reliquis investigationis partibus

Prinam saltem adhuc *investigationis* partem, quae in agnoscendis versatur vestigiis, maiori cura explicandam sumsumus; quo labore perfundti multo facilius, quaerendorum et premendorum *vestigiorum* rationem doceremus. Quaerere enim *vestigia* non possumus, nisi iam aliquo modo teneamus et cognoscamus, quales effectus res querenda, in primis parvus, producere soleat. Facile erit deinceps longe lateque circumspicere, num eiusmodi effectus alicubi locorum nobis offeratur. In QVAERENDIS itaque vestigiis *diligentia* potissimum, ut in agnoscendis, iudicium et *sensus* acutus desideratur. Facultatem tamen *agnoscendi* cum diligentia quaerendi coniunctam habere praefat: quo pares simus et expectatis, et praeter spem oblatis, vestigiis agnoscendis. Vtrumque si sit coniunctum in animo, nihil difficultatis habebit facultas vestigia SEQUENDI. Dum enim *vestigium ex vestigio* quaeris, oblatumque *agnoscis*, eo ipso *vestigia* sequeris. Non dubitamus quidem, utiles quasdam vtrinque expromi posse adnotaciones, et rem uberioris explicantes, et applicationem ad negotia adiuuantes; sed has lectorum arbitrio relinquiimus eruendas; eum in scribendo modum esse tenendum existimantes, ne lectores aut iusta spe, fore, ut res ad inquirendum proposita in apricum sit producta, excidant; aut ipsi, nimia autoris diligentia defatigati, abstrahantur ab inquirendo. Sic, eadem opera, et scribendi, et non scribendi, officio aque nobis videmur esse prudenter perfundit.

T A N T V M

Erlangen, Diss., 1743-50

ULB Halle
003 552 225

3



f

Sb.

W18



24

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



1749,1
 PVTATIO PHILOSOPHICA
 DE
S T I G I I S
 QVAM
 CORE MAGNIFICENTISSIMO
 SSIMO PRINCIPAE AC DOMINO
 DOMINO
I D E R I C O
 AVIO BRANDENBURGICO
 IAE SILESIAE DVCE RELIQUA
 P R A E S I D E
L T I N O C H L A D E N I O D.
 GIAE ELOQVENTIAE ET POESEOS
 RE PUBLICO ORDINARIO TEMPLIQUE
 ACADEMICI PASTORE
 XIX. FEBR. A. R. S. CICCCXLIX
 H. L. Q. C.
 DITORVM EXAMINI
 SVBMITTE T
R ENREICH IE REMIAS
 ORGAVIO MISNENSIS
 E R L A N G A E
 P I S BECKERIANIS

